

praerogativis, vestrae fidelitati indulgeri debendis maturius deliberare possimus. Datum Zagrabiae Sabbatho proximo ante festum Epiphaniae Domini. Anno eiusdem Millesimo CCC octuagesimo secundo.

Farlati. Illyricum Sacrum T. VI. p. 453.

CVII.

Anno 1381. die 8. Augusti. Taurini.

Pacis a Rege Hungariae, Januensibus, Paduanis et Patriarchatu Aquilegiensi Taurini factae instrumentum, quo Ludovico, Hungariae, Dalmatiae et Croatiae Regi et ejus successoribus Dominium totius Dalmatiae confirmatur.

In Christi nomine, sanctae et individuae Trinitatis, Patris et Filij et Spiritus Sancti, et gloriosae Virginis matris eius, ac totius curiae Supernorum feliciter Amen. Anno Dominicae nativitatis millesimo trecentesimo octuagesimo primo, Indictione quarta, die Jovis, octavo mensis Augusti, ante et circa hora Vesperorum, in civitate Taurini, provinciae pedemontium, in castro, in quo Illustris ac Magnus Princeps dominus dominus Amadeus Comes, Sabaudiae Princeps, Dux Cablayisij et Augustae, et Marchio Italiae suam residentiam faciebat, et aula maiori dicti castri. Praesentibus Reverendis in Christo Patribus Dominis Joanne Episcopo Taurinensi, Philippo Episcopo Trosselano, Guidone Abbate Sancti Michaelis Clissini etc. — — — Visis etiam, et studio frequenti, matura deliberatione pensatis ac examinatis proinde petitionibus, demandis, et singulis quaestionibus et quaerellis, ac etiam responsionibus et exceptionibus factis subtiliter hinc et inde, ipsae partes, videlicet Reverendi in Christo Patres et Domini, dominus Valentinus Quinqueecclesiensis, decretorum Doctor, et dominus Paulus Zagrabien-sis Episcopi, procuratores, actores, nuntij et legati Serenissimi et Invictissimi Principis et domini domini Ludovici Dei gratia Hungariae, Poloniae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galitiae, Lodomeriae, Bulgariae, Cumaniaeque Regis, Principis Salernitani et honoris montis Sancti Angeli Domini, procuratorio et actorio nomine praefati Domini Regis, habentes ad infrascripta plenum et sufficiens mandatum, prout constat publicis literis regiis magno sigillo Maiestatis Regiae sigillatis in pendenti, datis Budae in Palatio Regali decima tertia Februarij, millesimo trecentesimo octuagesimo; quarum tenor inferius est insertus. Cum quibus dominis Procuratorijs Regijs fuit praesens egregius dominus Joannes Dominici de Pastoch, miles aulae Regiae, qui cum dictis dominis Ambaxiatoribus